

a quod scriptum est: *a Fidelis hominis totus mundus divitiarum est, infidelis autem nec obolus*: nonne OMNES qui sibi videntur gaudere licitè conquisitis, eisque uti nesciunt, aliena possidere convincimus? Hoc enim certè alienum non est, quod jure possidetur; hoc autem jure quod justè; & hoc justè quod bene. OMNÈ igitur quod malè possidetur, alienum est: malè autem possidet, qui malè utitur. Cernis ergo quàm multi debeant reddere aliena, si vel pauci quibus reddantur, reperiantur: qui tamen ubi ubi sunt, tanto magis ista contemnunt, quanto ea justius possidere potuerunt. JUSTITIAM quippe, & nemo malè habet, & qui non dilexerit, non habet. PECUNIA verò, & à malis malè habetur, & à bonis tanto meliùs habetur, quanto minùs amatur. Sed inter hæc toleratur iniquitas malè habentium, & quædam inter eos jura constituuntur, quæ appellantur civilia; non quòd hinc fiat ut bene utentes sint, sed ut malè utentes minùs molesti sint: donec fideles & pii, quorum jure sùnt omnia, qui vel ex illis fiunt, vel inter illos tantisper viventes malis eorum non obstringuntur, sed exercentur, perveniant ad illam civitatem, ubi hæreditas b æternitatis est, ubi non habet nisi justus locum, non nisi sapiens principatum, ubi possidebunt quicumque ibi erunt, verè sua. Sed tamen etiam hìc non intercedimus, ut

a Isthæc sententia scripta est apud LXX. Proverb. 17. post versum 6. citaturque b Augustino passim, ab Hieronymo in epist. 103. ad Paulinum, & in Ezech. 45. & à Cassiano collat. 24. c. 26. à Bernardo in S. Malachiæ vita &c.

b Lov. æternitas est. At Bad. Am. Ef. & MS. habent, æternitatis est.

ut secundùm mores legesque terrenas non restituantur aliena: quàmvis placabiles vos velimus malis, non ut placeant vel permaneant mali, sed quia ex illis fiunt quicumque fiunt boni, & sacrificio misericordiæ placatur Deus, quem nisi propitium haberent mali, nulli essent boni. Diu est quòd occupationibus tuis loquendo videor onerosus, cum tibi homini acuto & docto citò solvi potuerit quod quærebas. Jam dudum autem finire deberem, si te tantùm scirem fuisse lecturum quod flagitasti ut rescriberem. Felix in Christo vivas, fili carissime.



ADMONITIO

IN LIBRUM

DE BONO CONJUGALI.

LIBER iste cum altero proximè secuturo pariter est contra reliquias quasdam hæresis Joviniani. Hanc hæresim suo tempore natam commemorat Augustinus in lib. 2. de Nuptiis & concupiscentia c. 23. Jovinianus, ait, qui paucos ante annos novellam conatus est hæresim condere, manichæis patrocinari dicebat catholicos, quòd adversus eum sanctam Virginitatem Nuptiis præferebant. Et in libro de hæresibus cap. 82. A Joviniano quodam monacho ista hæresis orta est ætate nostra, cum adhuc juvenes essemus. Additque fuisse illam citò oppressam & extinctam, puta circiter annum Christi 390. Romæ primum damnatam, tum deinde Mediolani: qua de re

TOM. VI. Y ex-

exstant Siricii Papæ ad mediolanensem Ecclesiam litteræ, & quæ ad ipsum à Synodo mediolanensi Ambrosio præsule reddita sunt, à Baronio ad prædictum annum 390. relata. Confutaverat Jovinianum Hieronymus, sed excellentiæ Virginalis defensionem non nisi damnatione Nuptiarum tentasse ferebatur, adeoque manichæis hæreticis incautè favisse. Ne similem calumniam sive querelam pateretur Augustinus, antequàm de Virginitatis præstantia diceret, scribendum de Conjugii bono judicavit: quod opus circiter annum 401. perfecisse, non modo ex Retractationum serie intelligitur, sed etiam ex libris de Genesi ad litteram, eo ferè anno 401. inchoatis. Nempe in libro nono de Genesi, cap. 7. ubi Conjugii bonum commendat, Hoc autem, ait, tripartitum est, fides, proles, sacramentum. In fide adtenditur ne præter vinculum conjugale cum altera vel altero concumbatur: in prole ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur: in sacramento autem ut conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa nec caussa proli alteri conjugatur. Hæc est tamquam regula Nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fecunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. Unde quia satis disseruimus in eo libro, quem de Bono Conjugali nuper edidimus, ubi & continentiam Vidualem, & excellentiam Virginalem pro suorum graduum dignitate distinguimus, diutiùs hîc noster stilus non est occupandus. Hoc ipsum opus notatur in lib. 1. de Peccatorum meritis & remissione cap. 29.

LIBRI II.

RETRACTATIONUM

CAPUT XXII.

JOVINIANI hæresis sacrarum virginum meritum æquando pudicitia conjugalitantum valuit in urbe Roma, ut nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, dejecisse in nuptias diceretur, hoc maximè argumento cum eas argeret, dicens: Tu ergo melior quam Sara, melior quam Susanna, sive Anna? & ceteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas feminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum sanctorum sanctum conjugatum, commemoratione patrum conjugatorum & comparatione frangebatur. Huic monstro sancta Ecclesia quæ ibi est, fidelissimè ac fortissimè restitit. Remanserant autem istæ disputationes ejus in quorundam sermunculis ac susurris, quas palam suadere nullus audebat. Sed etiam occultè venenis repentibus, facultate quam donabat Dominus, occurrendum fuit: maximè quoniam jactabatur, Joviniano responderi non potuisse cum laude, sed cum vituperatione nuptiarum. Propter hoc librum edidi, cujus inscriptio est, *De Bono Conjugali*. Ubi * de propagatione filiorum priusquam * Cap. 2. homines mortem peccando mererentur, quoniam concubitus mortalium corporum res videtur, quæstio magna dilata est: sed in aliis postea litteris nostris, satis quantum arbitror explicatur.

2. DIXI etiam quodam loco: *Quod enim* Cap. 16. *est*